



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Concilivm Matisconense I. Gvntramni Regis Evocatione Congregatvm die
Kalendarum Nouembrium, inductione XV. id est, anno Christi DXXCI. Pelagii
II. papae XVIII. vt putat Binius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ANNO CHRISTI 580. Conuentum episcoporum in villa Brennaco colligendum iussus est custodiri. Facto autem patrum Conuentu, dum se Gregorius per iumentum debite purgasset, reconciliatus est regi Chilperico. Leudastes autem accusator ab audiencia se subtraxit, estque ab omnibus ecclesiis excommunicatus. Ricalphus a morte per Gregorium eruptus, cui per sententiam iudicis adductus fuerat, in tormentis confessus est, quidquid in sanctum Gregorium inter se & Leudasten malitiose excogitatum fuerat. Totam rei gesta seriem summatim recentet ipse Gregorius Turon. lib. 5. hist. Franc. cap. 47. 48. & 49. Venantius Fortunatus Fredegundem, de tanto crimine sacrilegii iniuste & innocenter diffamatam, insigni carmine celebrauit; ut quae cum ignominia ad iudicium deduceta, maiore cum laude & virtutis ornamento isthinc abduceretur. De scipio scribit S. Gregorius lib. 6. hist. Franc. cap. 5. quod quoad regem reus maiestatis aduenerat, a regia maiestate non nisi maximo affectus honore recesserit, ut pote a quo non nisi episcopali benedictione regi impertita dimitti potuerit. Vide plura apud Baron. anno 583. num. 15.

ANNO CHRISTI 581. **CONCILIVM b MATISCONENSE I.**

GVNTRAMNI REGIS EVOCATIONE CONGREGATVM die Kalendarum Nouembrium, indictione x v. id est, anno Christi D XXCI. * Pelagii II. papæ v. Guntramni eiusdem, & Chilperici regum XXI.

*c Pelagi II. papæ XVIII. ut putat Bi-

TITVL CANONVM.

- I. Ut clerici cum extraneis feminis non habitent.
- II. Ne clerici aut laici puellarum monasteria ingredi, vel cum illis colloqui temere presumant.
- III. Ut mulier cubiculum episcopi, nisi cum testibus, non ingrediatur.
- IV. Ut qui oblationes fidelium defunctorum retinent excommunicentur.
- V. Ut clerici habitu decenti utatur.
- VI. Ut archiepiscopus Missas sine pallio non dicat.
- VII. Ne index secularis clericum extra causam criminalem distingat.
- VIII. Ne clericus ullam clericum trahat ad indicem secularis.
- IX. Ut a festo sancti Martini ad natalem Domini secunda, quarta, & sexta feria ieunetur, & Canones legantur.
- X. Ut clerici dies feriatos celebrant cum episcopo.
- XI. Ut honoratores clerici, qui ad pristinas uxores redierint, dignitate priuentur.
- XII. Ut puelle Deo deuota, que postea nupserint, usque ad exitum vita cum adulteris suis excommunicentur.
- XIII. Ne Iudei iudices sint, vel telonarii inter Christianos.
- XIV. Ut Iudei a cena Domini ad secundam feriam Pasche non vagentur: & ut clericis honorem impendant.

56 PELAGIVS CONCILIVM IVSTINVS IVN. IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC.

- XV. Ut Iudeorum conuiuiis Christiani non participent. ANNO CHRISTI
XVI. Ut nullus Christianus Iudeo deinceps serviat, & ut mancipia que nunc sunt redimantur. XVII. De illis qui innocentes accusant. §81.
XVII. De his qui alias ad periu-

XIX. De Agnetem monacha.

P R A E F A T I O.

CVM ex euocatione gloriosissimi domni Gunthramni regis, tam pro causis publicis, quam pro necessitatibus pauperum, in vrbe Matiscensi nostra mediocritas conuenisset; primo in loco visum nobis est, vt in nomine Domini, non tam noua, quam prisca patrum statuta sancientes, id ipsum constituamus quod titulis præsentibus in Canonibus legitur insertum.

C A N O N E S.

I.

Ideoque definitum est, vt episcopi, vel presbyteri, atque diaconi, ita sanctæ conscientiæ luce resplendeant, vt effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac testimonium in se diuinum implere contendant, quod Dominus ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & magnificent Patrem vestrum qui est in cælis.* Igitur auctoritate canonica, atque mansura in ænum constitutione sancimus, vt fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, & tantum cum auia, matre, sorore, vel nepte, si necessitas fuerit, habitent.

II.

Vt nullus episcopus, presbyter, diaconus, clericus, vel quicumque sacerdotalis, in monasteriis puerarum, nisi probatae vitae, & ætatis prouectæ, præter utilitatem, aut quamcumque reparationem monasterii,

ANNO CHRISTI 581. naſterii, ad quascumque earum necessitates habita-
re, aut ſecretas collocutiones habere præſumant:
nec extra ſalutatorium, aut oratorium ulterius in-
gredi permittantur. Præcipue Iudæi, non pro quo-
rumcumque negotiorum occaſione, puellis intra
monaſterium Deo dicatis aliquid ſecretius collo-
qui, aut familiaritatē, vel moras ibi habere præſu-
mant.

III.

Vt nulla mulier in cubiculum epifcopi abſque
duobus presbyteris, aut certe diaconis, ingredi
permittatur.

IV.

Vt qui oblationes fidelium defunctorum, quæ
ecclesiſis conferuntur, retinent, veluti retentato-
res ecclesiæ, aut egentium necatores, ab ecclesiæ
liminibus arceantur.

V.

Vt nullus clericus sagum, aut veſtimenta vel
calceamenta ſæcularia, niſi quæ religionem de-
ceant, induere præſumat. Quod ſi poſt hanc deſi-
nitionem clericus, aut cum indecenti veſte, aut
cum armis inuentus fuerit, a ſeniori ita coercea-
tur, ut tringinta dierum in cluſione detentus, aqua tan-
tum & modico pane diebus ſingulis fuſtentetur.

VI.

Vt archiepifcopus ſine pallio Miffas dicere non
præſumat.

VII.

Vt nullus clericus de qualibet cauſa, extra diſcuſ-
ſionem epifcopi ſui, a ſæculari iudicio iniuriam pa-
tiatur, aut cuſtodiæ deputetur. Quod ſi quicun-
Concil. Tom. 13. H

que iudex cuiuscumque clericum, absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumperit, quamdiu episcopo loci illius visum fuerit, ab ecclesiæ liminibus arceatur.

VIII.

Vt nullus clericus ad iudicem sæcularem quemcumque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere quocumque modo præsumat; sed omne negotium clericorum, aut in episcopi sui, aut in presbyterorum, vel archidiaconi præsentia finiatur. Quod si quicumque clericus hoc implere distulerit, si iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat; sin certe honoratior, triginta dierum conclusione multetur.

IX.

Vt a feria S. Martini usque ad natale Domini, secunda, quarta, & sexta sabbati ieunetur, & sacrificia quadragesimali debeant ordine celebrari. In quibus diebus Canones legendos esse speciali definitione sancimus, vt nullus se fateatur per ignorantiam delinquisse.

X.

Vt presbyteri, diaconi, vel quolibet ordine clerici, episcopo suo obedienti deuotione subiaceant, & non alibi dies feriatos, nisi in obsequio illius licet tenere, aut celebrare. Quod si quis per quamcumque contumaciam, aut per cuiuscumque patrocinium, hoc facere fortasse distulerit, ab officio regradetur.

XI.

Episcopi, presbyteri, vel vniuersi honoratio-

PELAGIVS P. II. MATISCONENSE I. IVSTINVS IVN. IMP.
CHILPERICVS R. FR. 59

ANNO CHRISTI
581. res clerici, cum sublimi dignitatis apice sublimantur, aetibus omnino renuntient saeculi, & facro electi ministerio, repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinæ contubernium permutent germanitatis affectu. Et quisquis ille est, diuino munere benedictione percepta, vxori prius suæ frater illico efficiatur ex coniuge. Eos vero quos reperimus ardore libidinis inflammatos, abiecto religionis cingulo, ad vomitum pristinum & inhabita rursus coniugia repetisse, atque incesti quodammodo crimen clarum decus sacerdotii violasse, quod nati etiam filii prodiderunt. Quod quisquis fecisse cognoscitur, omni in perpetuum, quam admisso iam crimine perdidit, dignitate priuabitur.

XII.

De puellis vero quæ se Deo voverint, & præclaræ decore ætatis ad terrenas nuptias transferint, id custodiendum esse decreuimus, ut si qua puella voluntarie, aut parentibus suis rogantibus, religionem professa, vel benedictionem fuerit consecuta, & postea ad coniugium, aut illecebras saeculi, quod potius stuprum est quam coniugium iudicandum, transgredi præsumperit, vsque ad exitum, cum ipso qui se huiusmodi consortio miscuerit, communione priuetur. Quod si se poenitentia ducti sequentia strauerint, quamdiu episcopo loci illius visum fuerit, a communionis gratia suspendantur; ita tamen, ut propter infirmitatem, aut subitaneum transitum, viaticum illis miserationis intuitu non negetur.

XIII.

Ne Iudæi Christianis populis iudices deputen-
Concil. Tom. 13. Iuo part. 12.
cap. 18.

H ij

60 PELAGIVS C O N C I L I V M . IVSTINVS IVN. IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC.

tur , aut telonarii esse permittantur , per quod illis ,
quod Deus auertat , Christiani videantur esse sub-
iecti.

X I V .

¶ Vt Iudæis a coena Domini vsque ad primum
Pascha , secundum edictum bonæ recordationis
domni Childeberti regis , per plateas aut forum ,
quasi insultationis causa , deambulandi licentia de-
negetur : & vt reuerentiam cunctis sacerdotibus
Domini , vel clericis impendant ; nec ante sacerdo-
tes confessum , nisi ordinati , habere præsumant .
Qui hoc facere fortasse præsumperit , a iudicibus
locorum , prout persona fuerit , distringatur .

X V .

Vt nullus Christianus Iudæorum conuiuiis par-
ticipare præsumat . Quod si facere quicumque , quod
nefas est dici , clericus aut sæcularis præsumperit ,
ab omnium Christianorum consortio se nouerit
compescendum , quisquis eorum impietatis fuet
rit inquinatus .

X VI .

Et licet quid de Christianis , qui aut captiuitatis
incursu , aut quibuscumque fraudibus Iudæorum
seruitio implicantur , debeat obseruari , non solum
canonicis statutis , sed & legum beneficio pridem
fuerit constitutum : tamen quia nunc ita quorundam
querela exorta est , quosdam Iudæos , per ciui-
tates aut municipia consistentes , in tantam insolentiam
& proteruiam prorupisse , vt nec reclamantes
Christianos liceat vel precio de eoru seruitute absolu-
ui . Idcirco * præsenti Conclilio , Deo auctore , san-

Dist. 54.
Præsenti
Conclilio.

ANNO
CHRISTI
581. cimus, vt nullus Christianus Iudæo deinceps de- & cap. i. de
beat deseruire; sed datis pro quolibet bono man- Iudæis, Sa-
cipio XII. solidis, ipsum mancipium quicumque racenis, &c.
Christianus, seu ad ingenuitatem, seu ad seruitum,
licentiam habeat redimendi: quia nefas est, vt quos
Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit,
persecutorum vinculis maneant irretiti. Quod si ac-
quiescere his quæ statuimus quicumque Iudæus no-
luerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire
distulerit, liceat mancipio ipsi cum Christianis, vbi-
cumque voluerit, habitare. Illud etiam specialiter
sancientes, quod si qui Iudæus Christianum manci-
pium ad errorem Iudaicum conuictus fuerit per-
suasissime, vt ipso mancipio careat, & legali damnatio-
ne plectatur.

XVII.

Id etiam pari connuentia placuit, (quia in vni-
uerso populo ¹⁰ multi peccatis inuoluti esse dicun-
tur, qui ambitionis instinctu sunt periuriis irretiti)
vt * si quis conuictus fuerit alios ad falsum testimo-
nium vel periurium attraxisse, aut quacumque
corruptione solicitasse, ipse quidem usque ad exi-
tum non communicet: hi vero qui ei in periurio
consensisse probantur, post ab omni sunt testimoni-
o prohibendi, & secundum legem infamia no-
tabuntur.

XVIII.

De his vero qui innocentes ¹¹ aut principi, aut
iudicibus accusare conuicti fuerint, si clericus ho-
noratior fuerit, ab officii sui ordine regradetur: si
vero sacerdotalis, communione priuetur, donec ma-

H iij

lum, quod admisit, per publicam pœnitentiam di-
gna satisfactione componat.

ANNO
CHRISTI
581.

XIX.

Can. 12.
huius Con-
cilii. Et licet priori titulo legatur definitum, quid de
puellis, quæ se diuinis cultibus, aut parentum, aut
sua voluntate dicauerint, debeat obseruari: tamen
quia monacha nomine Agnes, quæ de monaste-
rii septis fuga ante aliquot annos discesserat, in eo-
dem est monasterio reuocata; & dicitur, instigan-
te diabolo, agellos vel quascumque res ad se per-
tinentes, aliquibus potentibus velle donare, dum-
modo per eorum patrocinium se possit de intra
monasterii sui septa subtrahere, & voluptatibus sæ-
culi clandestina vel singulari habitatione vacare:
ideo præsenti constitutione sancimus, vt tam illa,
quam quæcumque alia monacha, quæ sub hac ar-
gumentatione se de religionis habitu ad illecebras
sæculi subtrahere, aut res suas pro tam iniquæ deli-
berationis causa quibuscumque dare censuerit, tam
illa quæ hoc dare voluerit, quam illi quicumque hoc
acceperint, ne, quod Deus auertat, ambitionis in-
stinctu religionis videatur regula vitiari, tamdiu sint
a communionis gratia sequestrati, quamdiu res ip-
fas eis, a quibus has acceperant, digna pœnitentiæ
satisfactione restituant.

SVBSCRIPTIONES EPISCOPO RVM.

Priscus in Dei nomine episcopus ecclesiæ Lugdunensis constitutionibus nostris subscripsi.

Euantius peccator episcopus ecclesiæ Viennensis constitutionibus nostris subscripsi.

Artemius episcopus ecclesiæ Senonicæ constitutionibus nostris subscripsi.

" Remedius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Bituricæ constitutionibus nostris subscripsi.

ANNO CHRISTI
581.

PELAGIVS MATISCONENSE I. IVSTINVS IVN. IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC. 63

Gallomagnus in Christi nomine episcopus ecclesiæ Tricassinae
constitutionibus nostris subscripti.

Silvester in Christi nomine episcopus ecclesiæ Vesontiensis con-
stitutionibus nostris subscripti.

Syagrius episcopus Aeduorum constitutionibus nostris sub-
scripti.

¹³ Aunacharius in Christi nomine episcopus ecclesiæ Autiiodo-
rensis constitutionibus nostris subscripti.

¹⁴ Hesychius episcopus ecclesiæ Gratianopolitanae constitutioni-
bus nostris subscripti.

Victor episcopus ecclesiæ Tricastinæ constitutionibus nostris sub-
scripti.

Heraclius episcopus ecclesiæ Diniensis constitutionibus nostris
subscripti.

Ragnoaldus episcopus ecclesiæ Valentinae constitutionibus no-
stris subscripti.

Namatius episcopus ecclesiæ Aurelianensis constitutionibus no-
stris subscripti.

Eusebius episcopus ecclesiæ Matisconensis constitutionibus no-
stris subscripti.

Agricola episcopus ecclesiæ Neuernensis constitutionibus nostris
subscripti.

Mummolus episcopus ecclesiæ Lingonicæ constitutionibus no-
stris subscripti.

Flauius episcopus ecclesiæ Cabilonensis constitutionibus nostris
subscripti.

Hiconius episcopus ecclesiæ Mauriennatis constitutionibus no-
stris subscripti.

Pappus episcopus ecclesiæ Aptensis constitutionibus nostris sub-
scripti.

Artemius episcopus ecclesiæ Vasensis constitutionibus nostris
subscripti.

Martianus episcopus ecclesiæ Tarantasiae constitutionibus no-
stris subscripti.

*Explicit Synodus Matisicensis, quæ fuit facta ¹⁵ anno 21. regni domni
nostrri Guntramni regis, die Kalendarum Nouembrium indictione 15.*

NOTÆ IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

¹ Anno Christi DXXCI.] Editionis Venetæ auctores Concilium
hoc anno 576. habitum notarunt: quia nimirum huic anno congrue-
re putabant annum Guntramni 12. quem in fine Synodi adscriptum
legerant. In editione Coloniensi collocatum est in anno 582. atque
hunc annum Guntramni fuisse volunt decimum octauum. Ceterum
indictio 15. de qua libri omnes consentiunt, utroque refellit, mense
Nouembri designans annum Christi 581. Quare hoc anno celebra-

64 PELAGIVS CONCILIVM IVN. IMPERATOR.
P.II. CHILPERICVS REX FRANC.

tum fuisse statuendum est. Verum is annus ab obitu Clotarii tantum erat 20. Legendum igitur anno regum 20. pro eo quod in vulgatis scriptum fuerat 12. & in codice Bellouacensi anno 22.

<sup>ANNO
CHRISTI
581.</sup>
¹ *Cum ex euocatione.*] Codex Lugdunensis, *Cum ad iniunctionem glor. domni regis, expuncto nomine Guntramni.*

Can. 2.

² *Nec extra salutatorium.*] Ita Lugdunensis. At Bellouacensis, collectio Andegauensis & Diuionensis, ut vulgati: nec intra salutatorium, aut oratorium ingredi. Item paulo superius collectio Andegauensis, propter utilitatem legit, reliqui prater.

Can. 5.

³ *Modico pane.*] Lugdunensis, *modici panis usu.* Bellouacensis, modicipanis portiuncula.

Can. 8.

⁴ *Presbyterorum vel archidiaconi.*] Bellouacensis, presbyterorum cum archidiacono apud Gratianum, *cum archidiaconi presentia.*

Can. 10.

⁵ *Clerici episcopo suo.*] Ita Lugdunensis. At Bellouacensis & collectio Diuionensis, clerici ita episcopo suo obedientie deuotione subiaceant, ut non alibi, sicut in vulgatis.

Can. 11.

⁶ *Sacro electi ministerio.*] Lugdunensis, *ad sacrum electi ministerium.* & infra, qui fecisse cognoscitur: idem Lugdunensis, quisquis facere presumperit.

Can. 12.

⁷ *Præclare decore etatis.*] Lugdunensis, *præclari decoris etate.*

Can. 16.

⁸ *Illud etiam specialiter.*] Hoc membrum adiectum est ex codice Lugdunensi, agnosciturque ab Agobardo, de Iudaicis superstitionibus pag. 69. Porro in eodem codice distinguitur a superioribus, & numeratur Canon 17. atque ita in vniuersum sunt Canones 20. quot nimur in hac Synodo conditos fuisse testis est Ado Viennensis in chronicō.

Can. 17.

⁹ *Multi peccatis inuoluti.*] Lugdunensis & Bellouacensis, *multi pro peccatis esse d.*

Can. 18.

¹⁰ *Aut principi, aut iudicibus.*] Ita Lugdunensis. In Bellouacensi, apud principes aut iudices. Appendix ad finem, donec malum, &c. addita ex codice Lugdunensi.

¹¹ *Remedius Biturice.*] Ita Lugdunensis & Bellouacensis, Agobardus etiam pag. 68. & Concilium Meldense Can. 73. At Gregorius Turonensis libro 6. cap. 39. Ado in chronicō, & quidam libri hoc loco, Remigium vocant. Cognata quippe sunt nomina, & alterum pro altero saepissime usurpatur. Quin & Rhemensis ipse Remigius interdum Remedius a quibusdam appellatur, ut a Fredegario in appendice ad Gregorium.

¹² *Aunacharius ecclesie Autiostorenis.*] In codice Bellouacensi, *ecclesiae Autricæ, quod idem est.*

¹³ *Hesychius Gratianop.*] Codex Lugdunensis, *Esychius.* Bellouacensis, *Iscius. vulgati, Estius:* eademque varietas in aliis Conciliis, quibus interfuit.

¹⁴ *Anno 21. regni.*] Codex Bellouacensis, *anno 22. regni.* vulgati autem, *anno 12.* Legendum opinor *anno 20.*

NOTÆ

NOTÆ SEVERINI BINII.

^a Concilium.] Hoc Concilium hortatu Guntramni regis celebratum esse, acta indicant. Ad mores ecclesiæ reformandos ac præcipue Iudæorum petulantiam coercendam in eo viginti Canones constitutos fuisse, scripsit Ado Viennensis episcopus in chronicis his verbis: Post Philippum Euanius vir sanctus episcopus Vienne leuatus est. Hic cum sancto Prisco & Artemio Senonico & Remigio Bituricensi & cum aliis sanctis episcopis viginti capitula ecclesiastica perfecte roboretur, quibus consensu quoque Syagrius Aduensis episcopus vir summa sanctitatis. Ex his viginti capitulis, quorum Ado mentionem facit, in actis Concilii nouemdecim dumtaxat reperiuntur.

^b Matisconense.] Sic dictum a Matiscona, quæ est ciuitas Aeduorum in Gallia ad Ararim sita. De quo hæc Hadrianus in suo theatro. Matiscona vulgo Mascon, sita est apud Ararim fluum recto & longo træctu. Quamplurima damna passa est ab Attila, Francis Burgundiam impugnantibus, alisque quamplurimis. Ultimo instituta est sub Philippo Augusto anno salutis 1222. cum generosioris animi ciues orsi sunt urbem nouis manibus concludere, & aduersus predonum incursiones vallo & propugnaculis munire: sex tunc constituerunt portas, & opidum oratorius publicis decenter ornarunt. Inter quæ diuorum Petri & Pauli ecclesia & curia, quæ pridem extra urbem sita erat, ut urbis murorum veteres ruina declarant, quæ inter hanc ecclesiam & sancti Vincentii cœnobium a diuo Niceta condita visuntur. Sed istis a Lothario eversis, diui Petri & Pauli ecclesia diuerso loco restaurata fuit, atque apud eam canonici regulares collocati. Nec longe ab his ptochodium & cœmeterium publicum. Quod autem diui Petri cœnobium natura & opere munitum erat, & Carolus Burgundiorum dux canonicorum fidem suspectam habebat, iusit illud deleri, eoque facto canonici receperunt se adeam urbis ecclesiam, quæ ipsorum alioqui iuris, ab iisdem etiam nunc tenetur. Erat & alia ecclesia primi atque sanctioris instituti canonicorum, quos regulares vocant, diui Stephanititulo, in colle extra urbem sita, quæ a Lothario eversa in Iudeorum postea usu fuit, ex quo & hodie pons eo pertinens Iudeorum vocatur. Sed exactis Gallia Iudeis illa ecclesia parœcica & curialis facta est. ecclesia autem cathedralis primo dicata fuit sub nominibus apostolorum Petri & Bartholomei, & martyrum Geruasii & Protasii. Sed Gallie Rex Childebertus eius nominis primus, quo erat pietatis affectu erga Vincentium martyrem, reconditis ibi eius reliquiis, multis eam ecclesiam beneficiis auxit: quo evenit ut cum populi quoque affectio ad regis pietatem accederet, appellaretur hac diui Vincentii ecclesia. Sed pulcherrimum apud Matisconios adificium est Dominicanorum cœnobium, quo loco ante comitum erat palatium a sancto Ludouico extructum. Quod cœnobium Hugonotica rabie anno 1561. & rursus anno 1566. vastatum fuit, quod idem Minoritarum cœnobio, iudicali foro, & collegio, & carceribus, & omnibus fere urbis ecclesiis accidit. Hæc de Matiscona Hadrianus.

66 PELAGIVS CONCILIVM IUSTINVS IVN. IMPERATOR.
P. II. CHILPERICVS REX FRANC.

Tempus
Concili.

^a Pelagii II. anno 18.] In fine aëtorum Concilii scribitur, hanc Synodum anno duodecimo Guntramni regis celebratâ esse; sed mendose & depravate. Nam si (vt ibi legitur) decima quinta indictione habita fuerit, non duodecimo, sed decimo octauo Guntramni regis, eam celebratam esse dicere oportet. Nec est quod quis eam reuocet ad præcedentis indictionis periodi itidem decimamquintam indictionem: nam illis temporibus Nicetius præerat ecclesia Lugdunensi: hoc autem tempore & indictione regebat eam ecclesiam Priscus, qui huic Synodo subscriptus infra inuenitur.

Can. 5.

^a Ut nullus clericus sagum, &c.] Hoc Canone sustulerunt prauum illum usum clericorum, qui factione Salonii & Sagittarii episcoporum, de quibus supra in notis Concilii Cabilonensis, irrepererat.

Can. 9.

^a Vt feria sancti Martini, &c.] Huiusmodi ieiunia in Galliis a sancto Perpetuo Turonensi episcopo primum instituta fuisse, docet Gregorius eiusdem ecclesiæ antistes libro 10. hist. Franc. cap. 31. vbi inter alia ieiunia a depositione, inquit, sancti Martini usque ad natalem Domini, terna in septimana ieiunia. Fluxit inde ut nonnulli fidelium integrum tempus aduentus, quod natalem Domini diem præcedit, ieiunio continuato transigerent.

Can. 14.

^a Ut Iudeis a cena Domini, &c.] Vide quæ hac de re notauiimus supra Can. 28. Concilii Aurelianensis III.

CONCILIVM LVGDVNENSE III. ANNO CHRISTI 583.

S V B G V N T R A M N O R E G E A N N O R E G N I

eius XXII. mense Maio celebratum, id est ^a* anno Christi DXXCIII. Pelagii II. papæ VI. Chilperici regis XXII.

TITVL CI ANONVM.

- | | |
|---|--|
| I. Vt episcopi, presbyteri, & diaconi, extraneas feminas domi non habeant: & qui coniugati ordinantur, ab uxoribus sequentur. | recedunt. |
| II. De epistolis captiuorum caute exanimandis & conscribendis. | IV. De incestis coniunctionibus. |
| III. De pueris quæ a monasterio | V. Vt episcopi natale Domini, & pascha extra ecclesiam suam non celebrent. |
| | VI. De leprosis cuiusque ciuitatis & territorii, ut episcopi eorum curam gerant. |

C A N O N E S.

I.

M V L T A quidem anterioribus temporibus venerabilium patrum sanxit auctoritas: nunc